Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 165
Quelle:
Copyright:

dimenſe, de quo ſaepe deinceps, poſſeſſus, continet *Nicolai de Lira* Normanni Ord. Min. ✠ 1341. *Poſtilla perpetua in Biblia* a *Proverbiis Salomonis* usque ad finem V. T. idque ſine textu, ſecus ac putaverat *Lambecius*. Initium eſt: *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter Proverb. XXII. v. VII. Secundum quod dicitur in principio libri de plantis* &c. Ad calcem *Iſaiae fol.* 229. minio legitur: *Explicit poſtilla ſuper prophetiam yſaie prophete edita a fratre nicolao doctore de lira ordinis fratrum minorum.* Opus hoc ſub ipſa Typographiae initia ſaepius prelo ſubjectum non leve faceſſit Bibliographis negotium cum editionum, quarum aliquae nec locum, nec annum produnt, diverſitate, tum Voluminum numero. Nos Codicem noſtrum cum edit. *Lugdun.* 1545. f. contulimus, et recte habere comperimus.

LXIX. VIII. H. 31.

760 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 207. 8. currente calamo perſcriptus, et a. 1587. κτημα *Polydori de Montagnana* continet varias Lucubrationes ſcholaſticas *Job. Ricutii Vellini Camertis* O. M. *Viennam* ad inſtaurandas literas evocati, de cujus Viri laboribus, Scriptis et de Academia noſtrate meritis, redituque in urbem *Italiae* natalem *Camerinum*, ubi a. 1546. diem clauſit, non pauca congeſſi in *Hiſtoria Typogr. Vienn.* vernacule edita. Procedunt vero hoc ordine: *In Cantica Canticorum Annotationes.* Ad calcem ſcriptae dicuntur: *Sabatho Eſto Mihi. Anno 1528.*

Fol. 27. *In Caput 6. Math. Annotationes.* Ad calcem: *Finitum die S. Vrſule in 2 diebus in Monaſt. S. Laurentii. Anno* 1527.

Fol. 41. *Annotationes in Euangelium Joannis.* Ad calcem: *Finita Collectura in 6. diebus. Vigilia nempe Colomanni que erat ſabatho 4 idus octobris Anno 1527. in Monaſterio S. Laur. Vienne Pannonie.* Id enim Seculi hujus initio vulgo Urbis noſtrae ἐπίθετον.

Fol. 97. *In Apocalipſim Annotationes — prelecte A. D. 1525.* Accedit: *Sacerdotium eccleſiaſticum an cunctis conueniat, Camertis ſententia et aſſertio.* Ad calcem: *Finita nonis octobribus Anno 1527. In Monaſterio S. Laurentij Vien. In vindemie tempore.*

Fol. 143. *A. d. 1527 Dictata ſuper epiſtolam ad romanos.* Pertingunt usque ad *Caput* IX. Nullibi in *curſoriis* hiſce Notis *Camertis* acumen et eruditionem deſideres. Addidit iis Scriptor noſter librarius et alios induſtriae ſuae fructus; ſequuntur enim

Fol. 181. *In Rhetoricam philippi Excerpta quedam.* Intellige *Melanchthonis*, cujus *Rhetorica* ſaltem jam a. 1519. *Baſileae* typis prodierat.

Fol. 197. *Excerpta in officia Ciceronis Ab D. Braſſicano. Anno* 1528 Alterum is eſt Academiae noſtrae Lumen *Job. Alex. Braſſicanus* ſeu *Kohlburger Job.* filius *Suevus Tubinganus*, qui cum reliqua familia ſua non parvam mihi paginam